BEATISSIME PATER

Ut animarum saluti devotorum oratorum vestrorum Philippi de Saint Paul et Caroli etiam de Saint Paul ac Francisci de la Barre Scutiferorum laicorum Carnoten[sis] diocesis [illegible] trium aliarum personarum ecclesiasticarum vel secularium non tamen regularium per dictum Carolum simul vel successive quandocunque nominandarum ac uxorum oratorum et personarum nominandarum huiusmodi si coniugate fuerint uxorum et utriusque sexus liberorum salubrius consulatur Supplicant humiliter sanctitati vestre oratores et persone nominande prefati quatenus eis specialem gratiam facientes ut confessor idoneus secularis vel cuiusvis ordinis regularis presbyter quem ad hoc duxerint eligendum ipsos et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis ac votorum quorumcunque et ecclesie mandatorum transgressionibus periuriorum ac homicidiorum casualis vel mentalis reatibus manuumque violentarum in quasvis personas ecclesiasticas non tamen Prelatos de preterito iniectionibus ieiuniorum horarumque canonicarum et aliorum divinorum officiorum et penitentiarum iniunctarum in toto vel in parte omissionibus Necnon ab omnibus et singulis aliis eorum peccatis criminibus excessibus et delictis quantumcunque gravibus et enormibus de quibus corde contriti et ore confessi fuerint etiam si talia forent propter que merito foret sedes apostolica consulenda De reservatis exceptis contentis in bulla cene domini semel in vita et in mortis articulo De aliis vero non reservatis sedi predicte casibus quoties opus fuerit absolvere ac pro commissis penitentiam salutarem iniungere Vota vero quecunque ultramarino visitationis liminum Apostolorum Petri et Pauli de Urbe ac sancti Iacobi in Compostella Religionis et Castitatis votis duntaxat exceptis in alia pietatis opera commutare ac quecunque Iuramenta sine alicuius preiudicio relaxare Necnon semel in vita et in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et absolutionem apostolica auctoritate impendere valeat Liceatque cuilibet oratorum et personarum nominandarum huiusmodi qui presbyter seu nobilis vel graduatus fuerit habere altare portatile cum debitis reverentia et honore super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis etiam non sacris et ecclesiastico interdicto ordinaria auctoritate suppositis dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto etiam antequam elucescat dies circa tamen diurnam lucem in sua et familiarium suorum domesticorum presentia Missas et alia divina officia celebrare seu celebrari facere ac illis interesse Necnon Eucharistie [illegible] alia ecclesiastica sacramenta sine Rectoris preiudicio preterquam in Paschate recipere Et decedentium corpore oratorum et personarum nominandarum huiusmodi corpora sine funerali pompa ecclesiastice tradi possint sepulture Et insuper ut unam vel duas ecclesias aut duo vel tria altaria in partibus ubi oratores et persone nominande predicti protempore morari contigerit quadragesimalibus et aliis anni temporibus et diebus stationum Urbis Rome visitando tot et similes Indulgentias et peccatorum consequantur remissiones quas consequerentur et consequi possent si singulis diebus eisdem singulas dicte Urbis et extra eam ecclesias personaliter visitarent Preterea eisdem quadragesimalibus et aliis anni temporibus et diebus prohibitis ovis butiro caseo et aliis lacticiniis et carnibus de utriusque medici consilio uti frui et vesci absque conscientie scrupulo Ceterum ut singule mulieres unacum tribus aut quatuor aliis honestis mulieribus quater in anno quecunque Monasteria Monialium cuiusvis etiam sancte Clare ordinis de illarum presidentium consensu ingredi et cum eis conversari dummodo ibidem non pernoctent libere et licite possint et valeant concedere et indulgere dignemini de gratia speciali Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac Cancellarie apostolice regulis Contrariis quibuscunque —//—//—

Et de reservatis semel in vita et in mortis articulo premissis exceptis ut supra —

Et de non reservatis sedi predicte casibus toties quoties opus fuerit ut supra —

Et de commutatione votorum et relaxatione Iuramentorum ut prem[ittitur] —

Et de plenaria remissione et absolutione semel in vita et in mortis articulo —

Et de altari portatili cum clausula ante diem et in locis interdictis ut supra Concessum ut petitur in presentia D. N. pp. B. Card. Armen.

Et quod corpora [illegible] oratorum et nominandarum personarum [illegible] ecclesiastice tradi possit sepulture

Et de Indulgentiis stationum Urbis visitando ecclesias vel altaria ut supra —

Et de esu ovorum butiri casei et aliorum lacticiniorum ac carnium ut supra —

Et de ingrediendo Monasteria Monialium pro singulis mulieribus ut supra

Et cum derogatione Cancellarie apostolice regularum in contrarium [illegible] —

Et quod presens indultum durare ad oratorum et nominandorum vitam et sola eius signatura sufficiat

Et quod presentium transumptis auctenticis fides detur que pro uno quoque —

Et quolibet oratore ac personarum nominandarum huiusmodi ad partem ipsius nomen —

Et cognomine ac uxorum et liberorum exprimendo aliis omissis fieri possint et valeant —

Do. de Closio

[illegible] de mandato [illegible]

m

Ch. Rodriguez Corrector

Dispance donné de nostre
S.t Pere le pape de Saincte
[illegible] Estraire
[illegible]